



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institutio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

II. De morte mali Sacerdotis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

C A P V T II.
 DE MORTE MALI
 SACERDOTIS.

S V M M A R I V M.

TERRIBILI morte puniuntur à Deo Sacerdotes mali. 1. 2. 3. 4.
 Plures Sacerdotes damnantur, quam saluifunt. 5.

Et inter reprobos proijciuntur. 6.

Perduntque beatitudinem, & inueniunt mortem 7.

Neque eorum mors finem habet, quia neque post mortem desinunt esse iniqui. 8. 9.

Et ideo in morte obliuiscuntur sui, quia in vita oblitifunt Dei. 10.

Terrore suorum tormentorum multi reuocantur à culpa, qui suo viuentium exemplo prauo tracti fuerant ad culpam. 11.

Qui mortem sibi consciuerint, vel pro suis sceleribus fuerint puniti, sepeliendi sunt sine Psalmis, neque pro eis in Missa commemoratio facienda. 12.

ARREPTIS Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusq; ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. *Leu. 10.*

Core

- 2 Core, Dathan, & Abiron seditionem mouent, hosque viuos terra absorbet; illum vero cum sociis deuorat ignis, sed & alios murmurantes consumpsit incendium. *Num. 16.*
- 3 Propter peccatum filiorum Heli Sacerdotis fit illis, & domui illius comminatio, ac mors aliorum prædicitur. *1. Reg. 2.*
- 4 Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. *Isa. 3.*

Plures Sacerdotes damnantur, quam salui fiunt.

- 5 Non arbitror, *vt sup. p. 2. cap. 9. §. 2. de oneribus, n. 28.*

Malus Sacerdos inter reprobos proijciendus.

- 6 TAM à potentibus huius mundi, quam à nobis (quod peius est) nonnulli grauiter fagitati deperunt, quos se de manu nostra Dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens: Requiram oues meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, vt ultra non pascant. Quod quid est aliud, quam pastores, qui se ipsos, non gregem meum pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliam, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, proijciam? Horum, & his similium consideratione perterritus Propheta: Timor, & tremor, inquit, venerunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, &c. *S. Prosper. de*

Eze. 54

Psal. 45

de vita contemplatiua l. i. c. 21. vbi describit luētiosam
carnalis Sacerdotis vitam.

**Malus Sacerdos perdit beatitudinem, &
inuenit mortem.**

ODVRVS, & durior casus! Heu, quid perdidit 7
Sacerdos, & quid inuenit! Perdidit beatitudinem,
ad quam factus est; & inuenit mortem, ad quam
factus non est. Hodie venimus à patria in exilium,
à visione in cæcitatem, à iucunditate immortalita-
tis ad corruptionem mortis. Misera conditio,
grauis dolor, graue damnum, graue tormentum.
S. Anselmus in Meditationibus.

**Mors miseri Sacerdotis numquam fini-
tur.**

FIT misero Sacerdoti mors sine morte, finis si- 8
ne fine, defectus sine defectu. quia & mors viuuit,
& finis semper incipit, & deficere defectus nescit.
Quia igitur, & mors perimit, & non extinguit; do-
lor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat; flam-
ma comburit, sed nequaquam tenebras decutit:
quantum ad notitiam præsentis vitæ colligitur,
supplicia ordinem non habent, quæ non suam
per omnia qualitatem tenent. *S. Gregor. Moral. l. 9.
c. 48. & Dialogorum l. 4. Card. Petrus Damianus epist.
3. cap. 12.*

**Iniquus Sacerdos nec post mortem desi-
nit esse iniquus.**

MORS quidem animam à carne separat, animæ 9
autem propositum non immutat. Vis scire? Con-
sidera

Mat. 7. sidera eos etiam post mortem mentientes, Domine, in nomine tuo hoc, & hoc fecimus. Numquid nesciebant ipsi apud se, quia numquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant, se, sicut in hoc sæculo homines deciperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse. Ideo etiam non dicit illis: Discedite à me, qui operati estis iniquitatem; sed: Qui operamini. Quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui: quia, etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent. *s. Chrysof. hom. 19. in c. 7. Matth.*

Percutitur hac animaduersione Sacerdos malus, vt moriendo obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.

10 *Cesarius admonitione 126.*

Moriens Sacerdos malus multos reuocat à culpa terrore sui tormenti, & quos viuens suo exemplo traxerat ad culpam.

11 *INIQVVS* Sacerdos moriens, qui imitatione sua multos ad culpam traxerat delectatione peccati, multos à culpa reuocat terrore tormenti. Quod etiam *Psal. 57* etiam Psalmista testatur, dicens: Lætabitur iustus, cum viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatorum. In peccatorum enim morientium sanguine iusti lauant manus: quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. Cuius enim talis tam crudelis exitus cernitur, non solum, qui viderit, refugit,

fugit, sed alios etiam ab imitatione illius, quanta
valuerit exhortatione, compescit. *S. Isidor. de sum-*
mo bono l. 3. c. 66. S. Gregor. Moral. l. 18. c. 13.

Qui sibi mortem consciuerit, vel pro su-
is sceleribus punitus est, non debet
cum Psalmis sepeliri, neque in Missa
commemoratio pro illo facienda.

PLACUIT, vt hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, ¹²
aut per venenum, aut per precipitium, aut suspen-
dium, vel quolibet modo, violentam inferunt
mortem, nulla pro illis in oblatione commemo-
ratio fiat; neque cum Psalmis ad sepulturam eo-
rum cadauera deducantur: multi enim sibi hoc
per ignorantiam vsurpauerunt. Similiter & de his
placuit, & qui pro suis sceleribus puniuntur. *Concil.*
Brachar. l. 1. c. 34. 23. q. 5. c. eod. Burch. l. 19. c. 130. Iuo. p.
10. c. 188. Concil. Tolet. 16. c. 4. & Altiſſiodor. c. 27.

Qui pro suis sceleribus puniuntur] *intellige,*
nisi contriti decesserint. 13. q. 2. c. pen & vlt. & VV or-
matien... c. 79.

OPERIS CONCLUSIO

EX S. GREGORIO.

EXPLETO itaq; hoc Opere, ad me mihi video
esse redeundū. Multum quippe mens nostra,
etiam cum recte loqui conatur, extra semetipsam
spargitur. Igitur à publico locutionis redeundum
est ad curam cordis, vt quasi in quodam consilio
consultationis, ad me ipsum discernendū conuocē
cogi-

cogitationis mentis; quatenus ibi videam me, ne aut incaute mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim benedicitur bonum cum is, qui dicit, soli ei, à quo accipit, per id appetit placere, quod dicit. Quæso igitur, vt, quisquis hæc legerit, apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat; & omne, quod in me sordidum deprehenderit, fletibus diluat. Orationis autem, atque expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione me superat, si, cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddat. *S. Gregor. Moral. l. 35. c. 16.*

Item, ex eodem.

REPREHENSIONIS meæ necessitate compulsus, dum monstrare, qualis esse debeat Sacerdos, inuigilavi, pulchrum depinxi hominem, pictor fœdus: aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui ad huc in delictorum fluctibus versor,

Idem S. Greg. p. 4. Pastor.

FINIS.



INDEX